Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26261
Copyright: Admont, Benediktinerstift

media nocte ueniet. Vigilate sic clausit euangelium. uigila
te. quia nescitis diem neque horam. Si ergo dormituri sumus
quomodo uigilamus? Corde uigila. operibus bonis uigila.
et quando corpore dormieris ueniet tempus ut surgas.
Cum autem surrexeris prepara lampades tuas. ne extinguantur.
te intus conscientie oleo uegetentur. Tunc te sponsus ille in
corporibus amplectatur nexibus. tunc te inducat in domum
ubi numquam tua lampas possit extingui. Hodie uero labo
ramus. et lampades nostre inter uentos seculi huius temptationesque
fluctuant. sed ardeat in robore flamma nostra ut uentos
temptationis augeat ignem potius quam extinguat. Pres

1. Augustini episcopi de uirginibus. tante domino ihesu christo.

IN LECTIONE euangelica de decem uirginibus dictum
est quod ornarent lampades suas obuiam sponso por
tandas. Sed fatue non habuerunt oleum in uasis prepara
tum. prudentes uero sumpserunt oleum in uasis suis. Requiramus
quare quinque dicte sunt fatue et quinque prudentes. Ille
enim .v. prudentes significant omnes sanctos qui cum christo sunt
regnaturi. econtra ille .v. fatue figuram habere uiden
tur christianorum malorum qui sine operibus bonis de solo tantum
christiano nomine gloriantur. Ideo enim ille fatue simulque
prudentes quinque dicuntur. quia quinque sensus in omnibus
hominibus esse probantur. uisus. auditus. gustus. odoratus.
et tactus. Et quia per istos sensus uelut per quosdam ianuas
uel fenestras aut uita aut mors ingreditur ad animam